



AK 20, 6.



DE
RERUM MALE
A SMALCALDICIS
GESTARUM CAUSSIS
QUIBUS DAM

EXPONIT
M. IOH. AUGUSTUS MÜLLERUS
SCHOLAE MISENENS. CONR.

MISENAE
LITTERIS SCHVLZIANIS.

B 72

DE

LIBRUM MALLEI
A SVT-LICAPPIOS
CENSITABUS CENSIBUS
CENSIBUS





Romanis eam fato quodam datam sortem fuisse, ut magnis omnibus bellis vieti vicerint, magnifice prorsus, neque tamen non vere, P. Scipio apud *) Titum Livium pronunciat. Quod idem tamen pari atque adeo maiori iure de diuinae veritatis propugnatoribus dici posse, nemo facile negauerit, qui, quae eorum inde a propagatae per orbem terrarum christiana doctrinae primordiis fata fuerint, historiarum fide perspectum habeat, atque cognitum. Nam cum multa habent christiana religio admiranda, et quae DEUM auctorem declarant, tum illud in primis, quod nullis unquam calamitatibus oppressa, sed omnibus potius aucta mirifice et amplificata fuerit, nec unquam diuinam suam vim atque virtutem exseruerit fortius, quam cum in summas angustias redacta, ac tantum non adstricta penitus, atque prostrata videretur. Quod, ut vetera omittam, cognitum est bello Smalcaldico, praeter caetera, quibus unquam religio occasionem dedit, multis de caassis memorabili:

rabili: quod bellum Protestantium potior pars gessit cum Carolo Quinto, Romanorum Imperatore, quo post Magnū illum Carolum nec potentiores, nec feliciores Germania vidit. Nam siue causam belli et consilium spectes, non de terrarum possessione aut regionum finibus, sed de summa rei christiana, atque omnium fere, qui repurgata a Luthero, diuinitus excitato, sacra amplexi erant, salute dimicatum fuit: siue copias, pro eorum temporum ratione ingentes fuere, quippe cum prope abesset a **) centum millibus hominum Smalcaldicorum exercitus. Neque tamen ex omni rerum memoria ullum facile bellum occurrit, in quo tot tantisque copiis minus effectum fuerit. Fuit enim intra anni fere spatium debellatum: vix uno memorabili proelio facto: exitu vero Smalcaldicis adeo calamitoso, ut nisi DEUS quasi ex machina adtuisset, actum videri de uniuersa re Lutherana, et conclamatum, posset.

*) Lib. XXVI, c. 41. **) Thuan. hist. temp. sui L. II. p. 36, ed. Frf.

Huius igitur tantae rei, tam praeter omnem spem et opinionem factae, quae caussae fuerint, operae pretium facturum me arbitror, si paulo fusius exponam. Quod cum in omni historia plurimum habeat et voluptatis et utilitatis, tum vero in ea eius parte, cuius est aliqua cum religione coniunctio, ad voluptatem suauissimum et ad fructum uberrimum est. Et, quando in ea patriae nostrae tempora incidimus, ut etiam huic rei seruendum nobis sit, hoc quoque institutum nostrum commodi fortasse habuerit, ut maiorum nostrorum calamitatibus memoria repetendis, ab eorum, quae nos iam per aliquot annos urgent, malorum sensu, paulisper auertamus

mus animum, et, quod aduersarum rerum, si non maximum, at aliquid tamen solatum est, nihil nobis accidisse noui aut praecipui, cogitemus.

Est autem huius disquisitionis duplex ratio. Nam primum quaeri potest, quidnam fuerit, cur DEUS, cui castum ac purum sui cultum maxime curae cordique esse constat, non laetiorum Smalcaldicorum armis fortunam concesserit. Deinde, quae in ipsa belli ratione aut parum recte prouisa, aut minus dextre administrata, principum consilia retardauerint. Quorum prius illud, vereor, ne pro ea, quae praelens hoc saeculum inuasit, numinis rerumque diuinarum negligentia, superuacaneum videatur iis, qui nihil minus doctum existimant, quam rerum ab hominibus bene aut male gestarum caussas edentem recurrere ad DEUM. Sed praeterquam, quod huius talis opinionis leuitas multorum doctorum hominum sententiis confutata, et exemplis, non desiderat orationem nostram: nos huius nostri facti aliquam afferre possumus peculiarem rationem, quam cordatis viris omnibus probatum iri, confidimus. Exposituri enim sumus de eiusmodi bello, quod, quoniam ad tuendam ac conseruandam veram religionem susceptum totum fuit, a caeteris bellis quodammodo segregandum est, ita hoc igitur tali bello cum nihil sine singulari numinis prouidentia accidisse, credibile sit, nemo, opinor, nisi forte in ipsam religionem male animatus, vitio mihi vertet, si in rerum male a Smalcaldicis gestarum caussis exponendis, partem earum aliquam a dei numine repetam. Quas tamen ipsas, si omnes peruestigari posse existimem, nimirum immenor sim humanae imbecillitatis.

A 3

Ne-

Neque etiam necesse est. Sufficit aliquas edidisse, easque idoneas, probabiles, DEOque dignas.

Hic igitur primum cogitari velim, hunc omni tempore a deo servatum morem fuisse, ut, quos verbi sui luce collustrasset, eosdem variis calamitatibus immissis ita quasi agitaret, ut eorum sensus et animi nudarentur. Quod quidem eius sapientiae ac maiestati in primis consentaneum est, qui non, quot sint, qui nomen ipsius profiteantur, sed quales, curat, neque numerum suorum spectat (neque enim eget ullo), sed pietatem, fidem, constantiam et animum ab omni simulatione alienum. Iam quis est, qui nesciat, non facile diiudicari veram in DEUM pietatem et fidem, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut quasi aurum igni, sic animus DEUM caste ac pure colens periculo aliquo spectetur: vultu contra, oratione atque externi cultus sollicita quadam obseruatione, simulationem facillime sustineri? Hanc caussam fuisse constat, cur, qui primi CHRISTO nomen dederant, tot ac tam diris malis, tamque indignis modis vexarentur. Quis igitur dubitauerit, quin idem fecutus sit DEUS, cum eorum, quibus tantum ac tam inaestinabile beneficium tribuerat, res in summum discrimen adduci vellet: ut nimirum et ipsorum confirmarentur animi et omnibus appareret, non repentina aliquo consilio, aut animi levitate quadam abreptos, aut denique utilitatis specie invitatos, sed iudicio potius et veri amore Euangelium admisisse, quos in eo retinendo ac defendendo ad extrema quaeque subeunda promptos videbant atque paratos.

Ne-

Neque etiam illud hoc loco negligendum esse videatur, quod longe diuersa sit DEI atque hominum de hominibus eorumque consiliis iudicandi ratio. Nos sane, simulac de causae, quam quis propugnandam suscepit, iustitia atque honestate nobis constat, continuo omnia ei prospere atque ex voto fluere debere arbitramur, nec quid a quo defendatur, reputare facile solemus. Quod fecus est in DEO, quem non caussae solum, sed hominum etiam rationem habere conuenit. Potest igitur fieri, ut optimae interdum caussae fortunam deneget, quoniam non optimi sunt, qui eam tuentur. Iusta fuisse, atque etiam pia Smalcaldicorum arma, lubenter fateor, sed tamen multitudinis atque etiam principum quorundam non usquequa probatos mores fuisse, et crebrae Lutheri de multitudinis per caussam excussae Pontificiae superstitionis lascivientis licentia, testantur querelae, et exemplorum documentis probari facile posset, si tali orationis genere delectaremur. Fac igitur ex voto processisse Smalcaldicis coepita sua, nonne verendum erat, ne hac eorum fortuna offenderentur homines, et parum digne de DEO eiusque iustitia et sanctitate sentirent ac loquerentur multi? quod quidem ille permittere non debuit, cuius maxime interest, has suas virtutes ab omnibus agnosci et celebrari. Itaque Smalcaldicorum opes atteri passus est, ut et ipsorum, si qua adhuc restarent, vitia corrigerentur, et malevolis omnis calumniandi praecideretur occasio. Cui rei cum esset satisfactionum eorum clade, caussam sibi probari, abunde declarauit, atque adeo praesens adsuit, ut paene oculis cerni posset.

Quid

Quid, quod ipsius denique Euangelii dignitas postulare videbatur, ut irrita essent Smalcaldicorum consilia? Quis enim, si perfecissent, quae animis conceperant, non vi et armis propagatam Evangelii doctrinam dicere? quod quidem ab eius natura ac indeole adeo abhorret, ut vel hoc unum indicio sit, non fuisse diuinitus missum Muhammedem, quod vi et armis dogma suum protulerit. Noluit igitur hac tanta infamia laborare Evangelium suum DEUS. Itaque omnes humanas opes remouit ante, quam tuam vim explicaret, quo facilius suum id opus esse, tuam rem agi, intelligerent homines: et cum omnia in summam adducta essent desperationem, neque ulla iam salutis spes reliqua esse videtur, adfuit tamen auxilium, unde minime exspectabatur, et tempore quidem adeo opportuno, ut dilatum, non negatum fuisse, quilibet, nisi peruersissimae mentis, iudicare facile posset.

Nunc, omisso diuino respectu, rem humanis aestimemus rationibus, et quibus de caussis acciderit, ut parum prospere succederet bellum, tantis animis, tantisque viribus apparatum, videamus. Et duces quidem, ut ab his ordiamur, praecipui erant Ioannes Fridericus, Saxonie Elector et Philippus, Hassiae Landgrauius. Multa habuit Ioannes Fridericus a natura bona, quae praeclara patris disciplina, a quo mature rebus gerendis adhibitus tuit, auxerat egregie et confirmauerat. Nullae sunt artes pacis, quas ille non egregie tenuerit, nec imperitus rerum militarium fuit. Adhaec grauis, prudens iustus, manu fortis ac strenuus et laboris patiens reperiatur. Animi vero magnitudo tanta erat, quam etiam hostes

hostes admirarentur, quae praeterea ut expressior esset, postea secuta calamitas fecit, quam ille adeo pulcre tulit, ut, si secunda semper usus esset fortuna, illistrior quidem multo, non autem maior futurus fuisse videatur. Accedebat corporis dignitas eximia et plane imperatoria forma. Duo sunt, quae passim a rerum scriptoribus in eo reprehendi videoas, ingenii nimirum tarditas quaedam, qua siebat, ut non facile, quid factu opus esset, reperiret, et nimis pertinax in ea, quam semel admiserat, sententia, permansio. Philippus contra excogitandis rebus ac gerendis iuxta idoneus, non plus ad pericula capessenda audacie, quam inter ipsa pericula consilii habuit. Magna rerum bellicarum peritia: laus rerum praeclare fortiterque gestarum maxima: quod declarant Ulricus Würtembergicus, quis ab eo restitutus, et Henricus Brunsuicensis debellatus, et vero etiam testimonium, quod ei Carolus Caesar, omnium aetatis luae ducum facile princeps, perhibuit amplissimum. Hic enim, cum eum sibi in Turcam moturo legare, totique administrationi bellicae praeficere velle, prae se ferret, et Philippus per modestiam tanti munieris grauitatem defugeret, *) Tu vero, inquit Caesar, tibi et aliis aliquando recte belligeratus es: non dubito, quin et mihi bonam operam praestare possis.

*) Sleidan. Lib. XV. p. 249. b. edit. Argent. anni 1555.

Hi igitur duces cum pari essent potestate, ita inter se officium imperitandi dispertiti sunt, ut si Saxonia et inferior Germania bello peteretur, summa imperii esset penes Saxonem, si vero Hassia, et superioris Germaniac

niae traetus, penes Hassum. Sed si unquam intellectum est, non posse bene geri rempublicam multorum imperiis, profecto hoc loco intellectum est. Huius enim tam infeliciter administrati belli scriptores ad unum omnes hanc praecipuam fuisse caussam contendunt, quod non unius arbitrio summa rei permissa fuerit. Inde enim accidisse, ut, cum forte non conuehiret inter utrumque, (conuenit autem nunquam fere), inter disceptandum *) pulcerimae rei bene gerendae occasionses dilaberentur. Itaque Smalcaldicos eam calamitatem accepturos non fuisse, arbitrantur, si unus fuisse constitutus, cuius nutu omnia gererentur, quique omnium rerum ac temporum dominus esset. Uter vero utri praferendus fuerit, id vero haud paulo maioris videtur esse disquisitionis. Plerique Philippum parem Caesari destinant animis, et longe omnia meliores habitura exitus fuisse putant, si huic summa rei tradita fuisse. Quod nec ipse dissimulauit aliquando, cum fecus, quam vellet, rem geri videret. Conuocatis enim ad Saxonem belli consiliariis ac ducibus, **) Quodsi, inquit, penes me solum esset belli administratio, sicuti tunc erat, quando Würtembergicum restituti, duabus equidem cum legionibus hostem adoriri primum velim et fossoribus adductis, munitiones illorum disturbarem, et summis deinde copiis impressionem facerem. Neque tamen silentio praetereundum est, quod se legisse illustris ***) Seckendorffius in commentariis Sebastiani Schertelii, ex quo ipse maternum genus duxit, commemorat. Hunc enim, ait, praecipuam male gestae rei culpam conferre in Philippum, quod cunctanter omnia

omnia egerit et optima subinde consilia impediuerit. Huic tanti ac tam spectatae integratatis viri, qualem fuisse Schertelium vel infensissimi eius hostes fatentur, testimonio, non esse nihil tribuendum, quilibet facile intelligit, praesertim, cum ipse plerisque rebus non interfuerit solum, sed etiam aliqua ex parte praefuerit, nec ulla appareat mentiendi caussa, commentariis istis memoriae saltem caussa, non eo consilio, ut emanarent, scriptis. Quid, quod non deessent in exercitu, qui Landgrauium a Caesare corruptum, ab eo inuadendo consulto abstinuisse, ****) iactarent? Verum nos tamen, quando nullum huius criminis apud auctores, quod quidem nos Iciamus, certum indicium extat, et Philippus satis durum atque inclementem expertus est Caesarem, de tali ac tam claro viro, cui maledici esse non poterant, non oportere suspicionibus iudicari, censemus.

*) Steidan. Lib. XVIII, p. 309. b.

**) id. ib. p. 298. b.

***) Comment. de Lutheranismo Lib. II, Seft. XI, §. 27. add. q. r.

****) vid. Georgii Arnoldi, Cancellarii olim Numburgensis, Leben Churfürst Morizens p. 84.

Ipsa porro sociorum ac foederatorum multitudine non parum videtur detrimenti Smalcaldicorum attulisse rebus. Cum enim mistus esset exercitus auxiliis variorum principum ac ciuitatum, quarum etiam interdum non eadem esset utilitatis ratio, *) quidam e sociis, priuatarum rerum, ut fit, respectu officiente publicis consiliis, aut nihil omnino conferebant, aut perparum, atque cunctanter; et cum nihil operae pretium fieri viderent,

suspicionibus indulgebant, ducique bellum a principibus data opera, quo plus pecuniae a ciuitatibus exprimerent, dictitabant. Et facile Caesar, ^{**) qui} praeclarè nosset ingenium multitudinis, si quid offensionis acceptum fuerit, dilapsuros singulos, et suis rationibus prospecturos, praeuidere poterat. Itaque uniuersae dimicationis casum, quamvis peterent hostes, summo studio omniq[ue] arte euitauit, plerosque ratus, morae per taesos, ultro ab armis discessuros esse. Neque haec eum spes fecellit. Confecta enim aestate, neque ullo adhuc iusto praelio commisso, cum partem exercitus in Saxoniam abduci viderent, aperte nonnulli amplius se aliquid ad belli sumitus collatueros negarunt. Tum vero principes ac ciuitates veluti certatim ditionem facere. Ac ^{***) primi} quidem Ulricus dux Würtembergicus, et Fridericus elector Palatinus. Quos secuti sunt Ulmenses, et horum, qui essent magna praeter caeteros auctoritate, exemplum Francofurtani: atque hi ne tentati quidem ab hostibus, quod vererentur, ne, si cunctarentur, mercatus iura ac commoda alio transferrentur. Quam eorum ignauiam lepide postea exagitauit Maximilianus, Comes Burensis, dignosque esse dixit, qui Darmstatum deducantur, Darmstata nos contra, (nam hi defenderant aliquantum oppidum suum) qui Francofurtum inhabitent. Neque longo post interuallo Augustani, Argentoratenses et ^{et} aliqui.

^{*)} Sleidan. I. c. p. 309. 112.

^{**) Thuan. Lib. IV. p. 84. C.}

^{***)} Sleid. Ic. p. 310. seqq.

Cum

Cum nihil sit in bello contemnendum, nec quicquam tam leue, quod non maximarum interdum rerum momentum faciat, profecto non optime sibi consuluisse Smalcaldici videntur, quod non maiore cum diligentia exploranda hostium consilia curauerint. Nam etsi turpiter faciunt, qui eam in rem operam suam locant, tamen non turpiter facere putantur in bello, qui tali eorum opera utuntur. Tot tantisque interdum difficultatibus premebatur Caesar, ut si ipsis innotuisset et celeritas adhibita fuisse, opprimi potuisse videatur. At illi, ut Germani, et freti copiarum suarum multitudine, aperto, quod aiunt, Marte, quam dolis et artibus pugnare malebant. In quo tamen parum perpendebant, quocum sibi res esset, quam callido duce, quana in omnes partes versatili. Itaque semper fere incerti haerabant, nec unquam hostium consiliis, quae ignorabant, accommodare poterant sua. Caesarem contra nihil eorum, quae apud ipsos agerentur, latebat: quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri. Nec absimile videtur vero, immissos interdum ab eo fuisse, qui falsa referrent Smalcaldicis. Itaque non sine animi dolore et indignatione quadam legas, quam misere illis Caesar itineribus suis subinde illuserit.*)

*) Sleid. XVII. 297. XVIII. 303. seqq.

Illud denique, dici non potest, quantum nocuerit Smalcaldicis, quod Caesar longe aliam, ac re vera erat, bello, quod meditabatur, caussam obduceret. Quodsi aperte religionis oppugnandae caussa fese arma cepisse, profiteretur, facile videbat, quantae ea res sibi invidiae;


propter odium Papae, apud omnes Germaniae ordines futura esset. Neque etiam illud fugiebat prudentissimum principem, tantas esse Euangelicorum opes, ut uniuersis solus nequaquam par esse posset. Quae ille intuens, coepit cogitare, quo pacto eos diuelleret, quo facilius deinde singulos obrueret. Itaque non religionem a se peti, sed principes quosdam, constanter asseuerabat, qui nimium lese efferentes, in ordinem essent redigendi. Quod non callide magis excogitatum, quam supine creditum a multis. Nam praeterquam, quod ipsa res pene loquebatur, Protestantes de foedere, quod de extirpandis Lutheri sectatoribus clam iniisset cum Pontifice Caesar, monebantur undique, et ipse Pontifex, qui aegre ferret, aliam huic expeditioni causam praetendi, rem omnem patefecerat, siue quod ad dignitatem suam et ecclesiae Romanae id pertinere arbitraretur, siue *) ne quid usquam Caesari, cui parum fidebat ipse, integrum relinqueret. Quae res non niediocribus Caesarem, summum aliquin alienae personae lustingiae artificem, difficultatibus implicituit. Sed vel sic tamen, quae voluit, consecutus est, effecitque ut Principum Protestantium alii quiescerent, de religione, abunde sibi caustum existimantes, alii euentum exspectarent, fortunae consilia applicaturi, pars etiam ad Caesaris rationes fese adiungeret: neque solum ii, qui parum religionem curabant, qualem accepimus fuisse Albertum illum Marchionem Brandenburgicum, **) qui se vel diaboli signa secuturum, dummodo stipendia det, profitebatur, sed ii quoque, quorum haud vulgare erat religionis studium. Sic igitur Smalcaldici non modo auxi-

auxilio priuabantur multorum, sed oppugnabantur etiam,
a quibus minime oportebat.

*) Thuan, Lib. II, p. 37.

**) Iac. Perizonius in Commentario rerum Saeculi XVI.

Atque haec quidem de rerum male a Smalcaldicis
gestarum caussis universe protulisse, sufficiat. Quibus,
si placet, addi possint, subita per Mauritium hisce in
terris rerum facta immutatio et peropportuna Caesari
duorum potentissimorum regum, Angliae nimirum et
Galliae, mors, quos, quamvis ambigua adhuc in Smal-
caldicos fide fuissent, tamen, vel sua ipsorum causa,
si diutius inter vivos esse ipsis licuisset, eorum non
passuros fuisse funditus fortunas euerti,
credibile est.



AKV 2121

25

ULB Halle


007 650 833

3



VD 78

Farbkarte #13



B.I.G.

Act 20, 6.

Vc
2121

DE
RERUM MALE
A SMALCALDICIS
GESTARUM CAUSSIS
QUIBUSDAM

EXPOSIT
M. IOH. AUGUSTUS MÜLLERUS

SCHOLAE MISENENS. CONR.

MISENAE
LITTERIS SCHVLZIANIS.